Dactylum, remanente ſyllabâ ferè longâ: Posterius recipit duos dactylos, itidem remanente unâ ſyllabâ longâ vel brevi. ut,

A cane non magno ſæpè tenetur aper.

Forma Pentametri eſt:

1.	2.	5.	3.	4.	5.
– –	– –				–
–◡◡	–◡◡	–	–◡◡	–◡◡	◡

Da exemplum Elegiaci carminis.

Donec eris felix multos numerabis amicos:
Nullus ad amiſſas ibit amicus opes.

DE FIGURIS GRAMMATICIS.

Quotuplices ſunt Figuræ Grammaticæ?

Quadruplices: Orthographiæ, Proſodiacæ, Etymologicæ & Syntacticæ.

DE FIGURIS ORTHOGRAPHICIS.

Id eſt, quæ ad Orthographiam pertinent.

Prosthesis eſt additio literæ vel ſyllabæ ad principium dictionis: ut, *gnatus pro natus.*